

Acta sunt hæc in Cella sancte Marie sub abbate Matheo anno ab incarnatione domini
 M. CC. III., indictione VII., III. non. febr., regnante domino nostro Iesu Christo.

(SD.)

79.

5 *Graf Ulrich von Wettin überweist mit Genehmigung seiner Verwandten der Nicolaikirche des Dorfes
 Kattau eine Wiese nahe am Pfarrhof, die er von der magdeburger Kirche zu Lehn gehabt, und
 entschädigt diese dafür mit Einwilligung des Erzbischofs Ludolf durch die dritte Wiese oberhalb der
 Kattauer Mühle, sowie das östlich an die Wiese angrenzende Weidicht. Balberge, 1204 Juni 24.*

10 *Hdschr.: Or. Perg. Haus- und Staatsarchiv Zerbst. Das zerbrochene S. Ulrichs, an Pergamentstreifen, = Taf. XVI, 4.
 Gedr.: Geschichtsbl. für Stadt u. Land Magdeburg 12, 94. v. Heinemann, Codex Anhalt. 5, 746.*

:In nomine sancte et individue trinitatis. Vlricus dei gratia comes de Witin.: Quia
 sub oblivionis errore ignavia posterorum per evolutionem temporum facta abolet priorum,
 notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod pratum quoddam adiacens ville
 Katowe ecclesie ibidem in honore beati Nicolai dedicate contulimus. Sed cum idem
 15 pratum eiusdem ville parrochiani curie contiguum a Magdeburgensi ecclesia iure feudali
 possideremus, ne iam dicta ecclesia super hoc contractu aliquod detrimentum sustineret,
 terciū pratum in superiori parte molendini situm consentiente domino et venerabili
 Ludolfo Magdeburgensi archiepiscopo eidem ecclesie Magdeburgensi videlicet in con-
 cambio assensu nostrorum propinquorum tradidimus. Preterea salictum in parte^{a)} orientali
 20 ante dicto prato contiguum, quod Wichmannus sancte Magdeburgensis ecclesie archiepis-
 copus iure hereditario possederat, et quibusdam suis militibus, Hesico videlicet et Theodrico
 de Livbicone et Warnero de Gotniz, iure feudali prestitum et concessum, sed postmodum
 eisdem militibus consentientibus liberum et absolutum intuitu remunerationis eterne supra
 dicte contulerat. Et licet illud ecclesia supra nominata in quieta possessione tanto tempore
 25 tenuisset, quod omnium ipsam super hoc impetere volentium actiones per exceptionem
 legitime prescriptionis repellere potuisset, quidam Tidricus Haacke se hoc in feudo a
 nobis asserens recepisse propria auctoritate contra ius sibi temere usurpaverat. Ipso
 tandem Tidrico ab eiusdem salicti occupatione illicita cessante et sepe dicte ecclesie illud
 confirmari petente priori donationi, quantum ad nos spectat, addidimus. Et quia omnes
 30 erronee scrupulositatis vias in hoc ordinate et iuste procedendo seclusimus, ne aliquis
 filiorum iniquitatis super hoc inquietare sepe dictam^{b)} ecclesiam presumat, hanc paginam
 cum testibus, qui aderant, inscriptis sigilli nostri appensione interminando roboramus.
 Huius rei testes sunt: Temo parrochianus ipsius ecclesie et procurator facti. Ludolfus
 archiepiscopus. Dux Bernardus. Sifridus comes de Thorneburch. Frithericus de Turgowe.
 35 Gerwicus de Witin. Bertholdus Calf. Tidricus Hake et alii quam plures urbani de
 Witin. Acta sunt hec Baleberge in ecclesia quinta feria, die videlicet beati Iohannis
 baptiste^{c)} anno incarnationis domini millesimo ducentesimo quarto.

(SFR.)

79. a) partae. b) dictietam. c) Ursprünglich baptiste, aber das p ist unten radirt und zu b umgestaltet.